

**www.e-rara.ch**

**Ioannis Thomae Freigii Quaestiones oeconomicae et politicae**

**Freig, Johannes Thomas**

**Basileae, 1578**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRR 360

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30958>

Freigius lectori s.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

FREIGIVS LE-  
CTORI S.



In natura nostra in ea puritate & integritate, ad quam à Deo præpotente primùm condita est, permanisset: Nec ex primorum parentum lapsu accessisset hæc depravatio ac fœditas, quæ in animo pariter & corpore tot opinionum vanitates, tot affectiones inconstantes, & à seipsis dissentientes ingeneravit: Tum omnes homines natura Ethici ac moralium civiliumq; virtutû quædam vix exemplaria extitissent. Hanc enim naturam bonitatem & insitum natura robur, omnium actionum consiliorumq; constantia decusq; consecuta essent: Et nunc honestum ipsum per se nobis placeret, animosq; nostros natura & specie sua commoveret: Et quoniam in animo sensusq; nostro penitus infixum fuisset atq; insitum: in communi consensu omnium dulcissima naturæ commendatione valeret. Essent enim in toto orbe terrarum, tanquam in refertissimo & amplissimo theatro Ethico Politicorq; non modo ætate iam acta decursaq; viri senes, verum etiam pueri adhuc bimii trimiq;, in quibus nulla temeritas, nulla stulticia, sed prudentia tam domesticâ quàm civilis vigeret: Qui ea mente & consilio, eo lumine animi ingenijq; præstarent, ut non modo quid in quaq; re verissimum esset, acutissimè & celerissimè videre & explicare possent, sed etiam omnium

P R A E F A T I O

bonum rerum diuinarum humanarumque cognitio-  
 nem scientiamque, & expetendorum fugiendorumque  
 noticiam in sua possessione tenerent. Essent quoque  
 in hominibus non adumbrata quaedam aut obscura,  
 sed omnium clarissima expressissimaque exempla do-  
 minae & reginae uirtutum Iustitiae, & eius affectio-  
 nis animi, quae communi utilitate conseruata, suam  
 cuique tribuit dignitatem: & humanae coniunctionis  
 societatem munifice & aequè tuetur: in qua erga  
 Deum religio, erga parentes patriamque pietas: in qua  
 fides, amicitia, uicissitudoque referendae gratiae inest &  
 continetur. Eset & animi excelsi inuictaeque magni-  
 tudo & robur in humana natura, & dolorum labo-  
 rumque perperatio & contemptio, comitesque eius uir-  
 tutis grauitas, patientia, rerum humanarum despi-  
 cencia, & ea animi acris, praesentis & fortis ratio, ca-  
 ius proprium est nil extimescere, nihil quod homini  
 accidere possit, intolerandum ducere. Essent de-  
 niq; in illa aurea uel potius diuina natura, homines  
 frugales, & in omnibus uitae partibus temperantes  
 ac moderati, cum specie quadam liberali, & rationis  
 in libidinem & alios non rectos animi impetus ac  
 commotiones firma ac moderata dominatione: ple-  
 ni pudoris, pleni officij, pleni religionis: cum o-  
 mnium quae fierent dicerenturque ordine ac modo.  
 Haec inquam omnia, naturae ipsius habitu, in homi-  
 nibus insita & infixae essent, si integra & inuiolata  
 eorundem natura, & sana permanisset, Nunc post  
 primo-

AD LECTOREM.

primorum parentum fœdissimum lapsum, & sceleratam ex illo deformitatem, depravationemq̄, quæ non modo naturæ humanæ decus, sed etiam uim roburq̄ omne enervauit, afflixit, extinxit: In eam paulatim turpitudinem delapsi sumus, ut sublata oppressaq̄ naturali ni, neque rationis rectæ, neque humanitatis propemodum ullum uestigium in nobis compareat: Nisi magno studio, magnaq̄ cura & animi intentione (quæ tamen & ipsa sæpè quasi malis uicta languescit, & oneri impar succumbit) corruptam naturam aliquatenus resarciamus. Ad eam res illa & insita nobis ac congenita naturæ humanæ excellentia dignitasq̄ in beluam quandam feritatem mutata: & ex theatro Ethicarum Politicarumq̄ virtutum, omnium uiciorum malorumq̄ colluuiæ & sentina facta est. Ita enim uitæ humanæ species nunc se habet: ita inter mortales nunc degitur, uiciturq̄: ut prudentiæ, sapientiæq̄ nihil, temeritatis ubiq̄ plurimum & deliratio incredibilis sit: Multa incauté, insipienter & stultè fiant: aut si quid prudentiæ reliquum esse uideatur, id non tam prudentia dici debeat, quàm astutia quædam & uersutia, & artificio simulationis ueteratorio erudita, & prudentiam perversè imitata calliditas. Iustitia quoque ex natura & memoria hominum, quadam sempiterna ferè obliuione ita remota & deleta est, ut non alterius amplius, sed suam quisque commodam, suamq̄ utilitatem persequatur: ut nihil fidei,

nihil

P R A E F A T I O

nihil religionis, nihil pietatis, nihil denique sani usquam gentium sit. Et pro magnitudine illa animi naturali, enatam est nescio quid molle, tenerumque: cui se comitem adiunxit laborum & dolorum fuga, quae officia omnia societatis communis deserit: Vanaque inuecta est omnium perturbationum & commotionum mater quaedam intemperantia, à tota mente & recta ratione deficiens.

Hæc tanta vitæ humanæ deturpatio, hæc deformitas, tam fœda, tam miserabilis: quid nobis ex homine, qui natura Ethicus erat conditus, quid inquam aliud, quam monstrum aut Chimæram quandam ex diversissimis maximeque cõtrarijs conflata beluis effecit. Sed ò vitæ Philosophia dux, ò virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, inquit Cicero: quid nõ modo nos, sed omnino vitæ hominum sine te esse potuisset? Tu mater omnium bonarum artium, tu, ut Plato ait, donum & innocentum Deorum, Tu nos primum ad Deorum cultum, tu ad modestiæ magnitudinemque animi reuocasti, tu ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulisti, ut omnia supra, infera, prima, ultima, media cerneremus: Tu vitia extrahis radicibus: & preparas animos ad fatum accipiendo: Tu mederis animis, sollicitudines detrahis, cupiditatibus liberas, pellis timores.

Huic ergo nos demus excolendos, ab hac patiamur nos sanari: hinc adiumenta & auxilia benè beateque vitæ petamus: Huic qui pareat, is omne tempus

AD LECTOREM.

pus ætatis sine molestia, is Ethicè, is Politicè dege-  
re poterit.

Quæ cùm tota frugifera & fructuosa sit: siue infi-  
nitatem rerum atq; naturæ, & in hoc ipso mundo cœ-  
lum, terras, maria cognoscimus: siue diuina huma-  
næq; perscrutamur: Nulla tamē eius pars melior, aut  
præstantior est, quàm hæc de Moribus doctrina, quæ  
virtutes continet: & officij, beneq; vitæ discipli-  
nam tradit: & ciuilis illa ratio, quæ de Rerumpub-  
de legum, de præmiorum, de pœnarum constitutio-  
nibus differit.

Hæc uerè turpificati generis humani, afflicti, læsi  
& contaminati sola q. medicina: hæc reparatio, hoc  
fomentum in hac misera & uulnerata natura super-  
est. Quibus medicinis & fomētis opus nequaquam  
fuisse, si eo uigore ac uirium omnium integritate  
frueremur, ad quam non docti, sed facti: non institus-  
ti, sed à natura ipsa formati sumus: per quam omnes  
nostra sponte, nullis legibus, aut edictis, nullis uincu-  
lis, nullis præceptis coacti: sed insita propensione na-  
turæ, Catones, Socrates, Aristides, Phociones, Scipio-  
nes fuissetis: uel potius rectè uerèq; Christiani Ethici  
& Politici: Nec tot ubiq; Antolyci, Sisyphi, Verres,  
Catilinæ, Clodij: uel potius cōciliati Pseudochristia-  
ni passim agnoscerentur.

Proinde cum nulla pars Philosophiæ, cognitio-  
ne tractationeq; suauior & liberalior: nulla fructu-  
ositateq; præstantior: nulla ad animi liberam inge-  
-

P R Æ F A T I O

nuoq; homine dignam oblectationem commodior  
 nulla denique rebus humanis magis necessaria sit,  
 quàm hæc doctrina quæ nobis ostendit, qualis natu-  
 ralis illa Ethica & Politica in homine ab initio fae-  
 rit : & ad quam integritatem ac dignitatem natura  
 principio condita & creata sit: Certè summo studio,  
 summaq; animi alacritate adniti; & in hoc totis ani-  
 mi uiribus incumbere, idq; unicum agere debemus:  
 ut omnem uitæ nostræ rationem, cursumq; eò insti-  
 tutum, eòq; directum habeamus, ut per studium  
 Ethicæ Politicæq; doctrinæ: perq; exercitium uirtu-  
 tis, honestatis & officij, ad primæ reûitudinis & inte-  
 gritatis originem : ac diuini ortus principia quasi  
 postliminio reuertamur.

Sed, Deum immortalem, quot sunt qui se ex ani-  
 mo huic studio dedunt? qui se huic medicinæ curan-  
 dos præbent?

Primum enim ingens caterua & magna natio est  
 Epicureorum, qui uoluptate tâquàm hamo aut esca  
 capti, uirtuti honestatib; bellum indixerûnt: qui ille-  
 cebra turpitudinis delinuti, boni naturam fallaciter  
 imitando adulterant. Hi ne quidem ad decus atque  
 ornamentum uirtutis aspirare possunt.

Alterum genus hominum est, non tamen ab illo  
 primo longè diuersum, Vulgus nimirum, quod ex  
 ueritate pauca, ex opinionibus pleraque iudicat: nec  
 delecto ullo, aut sapientia dicitur: sed impetu non-  
 nunquam & quasi temeritate: Id cum diuitiarum,  
 opumq;

AD LECTOREM.

epumq; amore infano, infinitoq; teneatur, tantū  
has uirtutum admonitiones & hæc præcepta uel  
Ethica uel Politica facit, quanti muscam Elephan-  
tus Indicus.

Nec ab hoc genere uulgi, uulicos sapientes & pur-  
puratos Ioues segrego, apud quos hæc ætate ciuiles  
mores habentur, & præcipua admirandaq; consuetu-  
do politica existimatur: Quid? Quid inquam?  
Potare:aleam ludere:scortari:luxu muliebri distil-  
re: Persicis apparatus & molli uestitu effœminatis  
usuras exercere, id est, pauperiores opprimere & ad  
famem ac mortem adigere. Aded ut quod quisq; his  
malis artibus instructor est, uel potius perditior, eod  
πολιτικώτερον καὶ ἠθικώτερον, tam bellis istorum  
hominum (si modò homines talia monstra appel-  
lare fas est) horum inquam hominum iudicijs ha-  
beatur.

Est deniq; & tertium genus eorum qui has quis-  
dem artes laudant, & hæc studia sequuntur, unde &  
Studiofi appellantur: sed eadem illa studia non ali-  
ter aspiciunt quàm canes è Nilo ut aiunt: hoc est, bis  
bunt & fugiunt.

Inter has nostri temporis tam præposteræ, tam  
deliras opintiones, quibus animi hominum plero-  
rumq; stultissimis curis dementati, detinentur: quis  
ethicis & politicis nostris admonitionibus, quis me-  
dicinæ faciendæ locus esse potest?

His molestijs accedit publicum impedimentū ex

P R Æ F A T I O

malis deprauatisq; moribus & institutis Rerumpub.  
in quibus omnia exempla luxuriæ, & genera varia-  
rum illecebrarum tolerantur: Imò etiam (quod mi-  
iêre) in purisq; Christianis Respub. & in illis etiam  
ubi Musæ suum tabernaculum fixerunt: publicè ad  
inuuentis perniciem Tempia Veneri & Fana Bac-  
cho dedicata sunt. Dedicata uerò? Imò nescio quo  
iuris uel iniuriæ potius prætextu, defenduntur.

Quarum rerum impunitate concessa & permis-  
sa, si quis inuuentem ad uirtutem, decus, honesta-  
tem uocet: ille certè nihilò felice rerum successu  
utetur, atq; si quis aduerso flumine lembum.

*Remigijs subigat, si brachia fortè remittat,  
Tunc illū in præceps pronò rapit alueus amne.*

Esti itaq; nulla unquam tanta felicitas humanæ  
uitæ fuit, ut nō singulæ ætates singulæq; tēpora: suos  
Epicureos habuerint: aliosq; multos, qui partim uul-  
garibus opinionibus: partim socordix desidiaq; de-  
diti obnoxiiq; essent: Tamen spero ex studiosorum  
cœtu aliquos futuros qui hæc studia, sua dignitate  
metientur, & alios quotq; suo exemplo ad diuinas ar-  
tes toto animo colendas excitabunt.

Omnino sicut animo & corpore constamus: ita  
consilia omnia, omnesq; actiones nostræ, aut corpor-  
is aut animi naturâ sequuntur. Animi diuina que-  
dam uis est & immortalis. omni concretionē terrena  
soluta & motu prædita sempiterno.

Corpus ex terreno principiorum genere confi-  
citur,

AD LECTOREM.

aitur, quasi vas aliquod, aut animi receptaculum: uel  
potius carcer ac sepulcrum, cuius contagione affici-  
tur mens sæpè, offusisq; perturbationum tenebris  
perstringitur.

Longè igitur, longè fallimur nos putantes eos  
esse quos humana forma declarat. Nec enim ea parte  
homines sumus, qua circumiecti & obuolutè regi-  
mur, carne, ossibus, neruis, uenis, arterijs: hæc enim  
nobis cum beluis quoque communia sunt, confusa,  
crassa, caliginosa.

Sed dignitas hominis à mente, & ratione pen-  
det, & unusquisq; nostrum animus ipse immortalis  
est, purus, liquidus & diuinus.

Hanc si finimus incultum & syluestrem: exco-  
limus autem corpus & illi uui studemus: animo  
tum ab humana natura in ferinam conditionem  
transimus?

Excolendi autem animi ratio in duobus potissi-  
mum sita est, in præceptis & exemplis. Homines  
enim omnia iudicant, aut Regulis quas scholæ tra-  
dunt & doctrina Philosophorum: aut Exemplis, quæ  
uita humana suppeditat.

Ego itaque quantum in me est, tametsi rei tantæ  
magnitudo meritò me sollicitum detinet: tamen o-  
peram dabo, ut præcepta sint contestata pauca bre-  
uia & dilucida.

Exempla quoque ne aliqua ex parte desint, ope-  
ram dedimus. Quædam enim cum nostris medita-

P R Æ F A T I O

tionibus coniungi curamus, ex quibus tota hæc Politica doctrina illustrabitur. Cuius tanta dignitas tanta ampliando & utilitas est, ut Deum nobis quàm proximè referat, ut omnia omnium studia & officia complectatur, ut se in omnes partes humanæ vitæ diffundat.

Dignitatem huius disciplinæ ostendunt eius auctores & prærentes: quorum politica studia & volumina describemus, ut inde politicæ disciplinæ honor amplissimè cognoscatur.

Omnes homines natura politici sunt, id est, ad congregationem & societatem nati: sed naturalis hæc humanæ vitæ societas temeraria est, nisi consilio regatur. Itaque certam viam ac rationem huius societatis temperandæ moderandæque alij aliam aut inuenierunt, aut à Deo acceptam posteris tradiderunt. Nam si primi & ueriores politicæ disciplinæ magistri requiruntur, Dij scholæ huius magistri & principes fuisse inueniuntur. Deus enim non solum ipsum ordinem politicum, sed & doctrinam Reipubl. administrandæ per suum internuncium & interpretem Moysen instituit, exemplumque ad omnem posteritatem proposuit, unde ad Reipubl. optimam formam instituendam, plurima utilia desumi possent. Ergo ut summam rei contrahamus: diuersi apud diuersos huius disciplinæ auctores fuerunt. Nam & Hebræi, & Persæ, & Græci, & Latini, & Nostrî, suos huius doctrinæ habuerunt administratos: & cetera quadam communi

AD LECTOREM.

commigratione ac periodo circumacta, ab alijs ad alios, à superioribus ad posteriores, scholæ politicæ delatæ sunt.

De istarum itaque gentium politicis parentibus sigillatim dicamus: eorundem nomina, studia, instrumenta, monumenta, antiquitatem & nobilitatem recognoscamus. Prima itaque schola doctrinæ politicæ, sacrarum literarum testimonio & Mosis autoritate continetur. Etsi enim primus parens Adamus, deinde Enoch, Noah & alij æconomici gubernatores in suo certu fuerunt ad Iosephum usq, qui postea non modo regnum Aegyptium rexit: sed etiam novis legibus constituit: Inter hos tamen interiecti fuerunt Melchizedeck, qui nominatim Rex appellatur, & Abraham, qui etsi hospes alienis imperijs fuit: tamen & reges aliquos sibi adiunxit, & ipse politico & herili imperio suam familiam gubernavit, & pro defensione suorum præliatus est. Ita hæc prima gubernatio partim paterna & æconomica, partim politica fuit.

Secuta est Aristocratia sub Iudicibus à Mose ad Eli usque, sub quo arca amissa, & decus politicæ maximè afflictum fuit. Sed Decorum internuncius & interpretis Moses, quid reliquum fecit in optima politica explicanda? qui quidem, ut cætera ipsius instituta omittam, in decalogo certè perfectæ politicæ formam luculentissimam proposuit: exorsus primo à pietate & religione quæ Deo debetur, deinde

P R Æ F A T I O

ad humanæ societatem vitæ descendit, & ibi eam cepto quasi muro circumdedit, & omnium legum politicarum fontes aperuit: sancit imperium, & præcipit obedientiam: munnit pacem, coniugia, dominia rerum: constituit iudicia: sancit veritatem in contractibus, pactis, artibus. Et sanè memoria digna sunt, quæ de Moſis politico studio Philo & Iosephus apud Eusebium in libris de præparatione Euangelica explicant: quæq; Eleazarus & Aristobulus summi apud Iudæos viri cum Ptolemæo rege de lege disputasse apud Aristæum referuntur.

Sed huic gubernationi Aristocraticæ, regia successit sub Saule, quem Dauid & Salomon secuti sunt. Magnum sanè in Dauide politices studium enituit: qui regnum Israëliticum, & bello & pace plurimum amplificauit: legibus, iudicijs, opibus, viribus & potentia ornauit: literarum studia excitauit: Lenitas, doctores, musicos, & multarum bonarum artium professores instituit: ita ut haud dubiè Deus hunc tantum regem ut in illustri persona illustre exemplum omnibus politicis uiris, regibus & principibus ad omnem ætatem proponere uoluerit. Securus est patrem præstantissimum filius clarissimus Salomon: quem Deus excellenti sapientia instruxit, & ei sapiens collegium Prophetarum & aliorum eruditione & pietate excellentium adiunxit. Eius igitur politica studia declarat ædificatio templi, declarant doctrinarum instituta, declarant

monu-

A D L E C T O R E M.

monumenta librorum de historijs ecclesiz, & de natura rerum: declarant iudicia & ordinatio tributorum & præsidiorum.

Hæc igitur prima periodus diuina & sancta fuit: Ab illa diuinitate & sanctitate insequentibus paulatim declinare ceperunt. Nam sicut imperium, ita & politiz studium ad Persas inde translatum est, quorum gubernationem cum alij, tum uerò Plato magnificè describit. Cum quatuordecim annos natus esset puer regius, inquit Plato, suscipiebant eum erudiendum regij prædagogi, ut uocant. Fuerunt autem electi à Persis uiri præstantissimi quatuor: nimium sapientissimus, iustissimus, temperantissimus & fortissimus. Ex his primus docet eum Magiam à Zoroastre acceptam. Est autem Magia doctrina de Deo, quæ continet etiam *basidmâ* de regis officio, & omnibus ad gubernationem regni necessarijs. Iustissimus docet eum in omni uita ueracem esse debere. Temperantissimus autem uoluptatibus non parere, ut uerè Rex sit, qui regnat primùm cupiditates in seipso, nec eis turpiter seruiat. Fortissimus denique magnanimum & imperterritum eum reddit, ne quando metuens quippiam, seruus fiat. Hæc Plato. Hanc Persarum disciplinam politicam Xenophon quoque in 1. Cyri prædix magnificè describit, unde illorum studium politicam tantò claris elucet.

Sed hac quoque periodo circumacta, deinceps

P R A E F A T I O

& Persis politica doctrina translata, mare traiecit &  
 in Græciam tandem repulsa est: cuius ingens stu-  
 dium politicarum rerum, plurimæ præstantissimæ  
 Respublicæ declarant. Sed cæteris omiſſis, Athe-  
 niensis populi studium politicum explicemus. Et  
 quidem Athenæ, schola totius Græciæ (sic enim Thu-  
 cydides eam urbem vocat, appellans *παίδευσις τῆς  
 ἑλλάδος*.) Eius itaque præcipuos & nominatissi-  
 mos magistros Politicos, quid complecti hîc pro-  
 hibet? Vt itaque ab ipso capite & fonte Socrate in-  
 cipiamus: primus is huius disciplinæ apud Græ-  
 cos studium excitavit & in honorem adduxit.  
 Quem discipulus Plato secutus, præclara multa de  
 hoc genere scripsit, & ea quæ ab Socrate acceperat,  
 mira felicitate ingenij excoluit. In cuius tota poli-  
 tia nihil admirabilius est, quàm quòd eius for-  
 mam ad divinam ideam retulit, & Mosaicam poli-  
 tiam exprimere quam proximè studuit: qui non  
 modo *θεοείκελον* & *θεοειδῆ*, id est, divinam Rem-  
 publicam, quæ aliquid ex divina idea haberet, in-  
 stituit: sed nominatim etiam urbem suam talem  
 describit, qualis Hierosolyma fuisse legitur: id  
 quod animadvertet quisquis principium quar-  
 ti eius de Legibus inspexerit. Vnde Philo Iudæus  
 non frustra dicere solitus fertur, *τὶ ἐστὶ Πλάτων  
 ἢ Μωϋσῆς ἀττήνιστον*; Quid est Plato nisi Atticus  
 Moses? Sed idem Plato divinam Reipublicam for-  
 mam secutus, affectus non est; alter tamen in  
 Græcia

AD LECTOREM.

Græcia parens politicæ disciplinæ optimo iure nunc  
meritor.

Sed nemo post Platonem Aristotele plura ac ma-  
iora commoda in hanc doctrinam importavit, qui  
præceptorum suo Platoni si non par, non multò tamen  
inferior: methodo etiam alicubi voluit videri supe-  
rior: una certè in re inferior quòd Dei in sua Repub.  
Dei inquam oblitus, magis philosophicè quàm *theo-  
etico* omnia tractavit.

Successerunt Platoni in hac doctrina auditor  
Xenocrates Chalcedonius, & Speusippus eius ex so-  
rore nepos. Sed Theophrasti Eresij Aristotelis au-  
ditoris singulare in hac doctrina studium indicat  
Laërtius. Huius quoque discipuli duo nominan-  
tur, quorum unus Strato Lampfacenus Arcefilai fi-  
lius, quamvis ob physicæ studium physici nomen  
meruerit, tamen in hac quoque doctrina scripsit  
non pauca. Alter discipulus Demetrius Phalareus  
& ipse multa reliquit. Ut omittam quæ Zeno Cit-  
tius Stoicorum princeps in hac doctrina, quæ Pro-  
tagoras Abderites Democriti auditor, quæ Heracli-  
des Ponticus Speusippi & Aristotelis auditor con-  
scripsit.

Sed Pythagoræ schola in ea ora Italiæ, quæ magna  
Græcia appellata est longè celeberrima fuit. Produ-  
xit enim summos philosophos, optimos ac sapien-  
tissimos nomothetas atque gubernatores politicos,  
qui ab autore Pythagorici sunt nominati.

P R A E F A T I O

Et si autem postquam hi passim in urbibus principatum obtinissent, clandestina quædam illorum coniuratio (quæ tamen qualis fuerit, non exprimitur) causam præbuit ut ipsi deleti & syndria ipsorum uno tempore uniuersa exusta sint: cuius simile de familia quadam militiæ sacræ legimus maiorum nostrorum ætate, quos Templarios nominarunt: tamen & leges quibus constituerunt Respublicas honestissimas atque grauissimas fuisse reliquæ constitutionum Zaleuci & Charondæ docent: & eisdem profuisse publicæ tranquillitati quandio uiguerunt, testantur seditiones, quæ Pythagoricos sublatos fecerunt sunt: & doctrinam politicæ sapientiæ, quam autor familiæ ex Aegypto aduexit, fontibus sapientiæ diuinæ congruam esse, ostendunt fragmenta disputationum Hippodami Thuriij & Euryphami, quæ ex illa schola profecta supersunt: sicut & recitatur alicubi Diotogenis Pythagorici sententia qua bonus princeps definitur.

Sed quid uiros recensemus? etiam præclaræ mulieres in hoc politico studio excelluerunt. Nam & Aspasia rerum ciuiliu peritissima, à Pericle adamanta, à Socrate frequenter consulta est.

Atque hæc tertia periodus Græcorum, in qua politicæ doctrine maiores parentes aui & atui Socrates, Plato, Aristoteles, Pythagoras collocantur.

Pythagoræ doctrina cum longè latecque flueret, Romanam permanasse dicitur: idque tum coniectura probabile

AD LECTOREM.

bile est, tum quibusdam etiam uestigijs indicari ait Cicero. Quinetiam arbitratur propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem (cui annis permultis ante fuit quàm Pythagoras) Pythagoreum à posterioribus existimatum.

Ergo quarta periodus Latinorum sequitur: quos etsi Græci doctrina & literarum genere superabant: ipsi tamen mores & instituta uitæ, resq; domesticas & familiares melius tuebantur & lautius.

Rem uerò publicam melioribus temperarunt & institutis & legibus: quæ omnia qualia fuerint ostendunt aliqua ex parte exempla, quæ Valerius Maximus libro primo recenset: ostendit & principium Liiij, ubi de tribus causis differit, quibus parta & aucta Romanorum politia sit. Vita enim moribusq; primùm, deinde uirorum præstantia, denique artibus belli & pacis, id ætæ fatetur, ut nulla unquam politia, nec maior, nec sanctior, nec exemplis ditior fuerit. nec in quam tam serò auaritia, luxuriaq; immigrauerint: nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimonie honos fuerit. Hæc Linius de Romanorum politia: apud quem ibidem primam formam gubernationis primæ considerare operæ precium est: quàm enim *πολιτικὸς* statim in uita Romuli urbis optimam ideam, religione erga Deos & sacrificijs, iure & legibus, insignibus magistratuum, senatoribus & partibus, denique Reipublicæ seminario, sobole, scilicet & quod illius gratia contrahitur,

P R Æ F A T I O

itur, matrimonio: condit & instituit?

Sed hæc institutis magis & exemplis ille, quam præceptis, quorum Romani (nisi quantum legibus brevissimis duodecim Tabellis tribui hac in parte potest) semper fuerunt parcissimi. Vnius tamen studium Latini hominis literarum monumentis hac quoque parte non defuit. Quem enim dempto Cicero habemus, qui post Græcos hanc disciplinam Latinis libris comprehenderit? Itaque quintus hic huius disciplinæ parens, cum Mose, Pythagora, Platone, Aristotele numeretur, sed ut ætate, & tempore, ita etiam longè doctrina inferior. Etsi enim ego cum Romanum vel Mosem, vel Platonem appellare soleam: tamen non diffiteor in illo ipso philosophiæ quasi fecem substituisse: id quod ex gradibus degenerantis philosophiæ intelligi faciliè animadverti potest.

Nam Moses, in quo prima politicæ disciplinæ periodus extitit, de rebus politicis & legibus scripsit ita ut Iustitia erga Deum præcipuam curam habuerit, ad eamq; omnia retulerit. Plato hunc sectatus, multa quidem præclara de Deo, sed multò plura inania confuxit, nec suam sententiam apertè confiteri ausus est. Aristoteles Dei prorsus, philosophiæ non omnino oblitus est. At Cicero ita se à divina idea & philosophiæ dignitate magna ex parte demisit: ut ad vulgi sensum & popularem auram pleriq; accommodarit.

Hæc

AD LECTOREM.

Hæc calamitas etiam reliquū fundum politici p̄a-  
trimonij prorsus afflixit, ita ut hæc politici fundi no-  
men quoq; defierit, & pro politica disciplina, Iuris-  
prudencia enata & appellata sit. In qua quot lumina  
extiterint, Pomponius de origine consulatur: nam  
tunc tempus omnia commemorare prohibet.

Sed utcumq; nomen politici fundi perierit: hunc  
tamen rursus suo tempore Optimus Imperator Iustini-  
anus cum diuinæ Reipublicæ agro coniunxit: cui  
maior ne cura religionis propagandæ, an uerò poli-  
ticæ restituendæ fuerit, non facile dixeris. Eūm san-  
cti omnes superiores politicos, ut Mosē, ut Platonem,  
ut Aristotelem, ut Ciceronem, etiam illos recentio-  
re nomine Iurisprudentes recapitulasse & cōiunxisse  
certum est. In cuius legibus, quæ non in scholis na-  
tæ, non in umbra exercitatæ: sed in curia conditæ, in  
foro agitatæ sunt: absolutam uerz politicæ effigie cer-  
nere licet: in quibus grauitè omnia ciuilitè, nihil  
non humanitè constitutum, & ad politicam homi-  
num consuetudinē accommodatū est. Hic itaq; præ-  
stantissimus politicæ disciplinz parens numeretur:  
& si illos superiores marmoreos in schola politica  
posuimus: huic statuam auream consignemus.

Ab hoc quasi fonte & capite ingēs hominū politi-  
corū prouēctus extitit: Bartolus, Baldus, Iason & reli-  
qui: quorū omniū studia & monumenta politica in  
manibus sunt. Unus tamē Bartoli hæc in re studium  
præ reliquis emicuit, qui p̄culiares etiam de tyrāni-  
de,

P R Æ F A T I O

de, item de ciuitatis regimine commentarios instituit, sed ita ridiculos & pueriles (cum honor tantum dixerim) ut graui & politica philosophia digni nequaquam sint, & merito dubitari possit an huius ipsius proprij fuerint.

Et ne solum homines priuatos huius disciplinae studiosos commemoremus: Carolus quartus Imperator laudatissimus, an' non insigne studium politicarum rerum in aurea bulla, quam uocant, declarauit?

Scidit deinde, se studium illud politicum & in minores regiones & oras abiit: cumq; essent omnes orti ex illa Iustiniana schola, alius tamen aliud ex ea apprehendit: cum tamen omnes ab hoc fonte se ortos uellent. Hinc Bauarorū, hinc Tirolensium, hinc Vvormatiensium, hinc Friburgensium, hinc Norimbergensium, politici libri, quos Municipales appellant, exorti sunt: In quibus omnibus uestigia, Iustinianæ scholæ, & studium politicæ disciplinae comparer. Et horum tamen omnium uis & autoritas, admiranda sapientia, uirtute & industria grauissimi senatus Septemuirum in imperio Germanico haecenus adhuc defensa est, qui tam concinnè Geometrica proportione distributus, & ad politicæ Germanicæ stabilitatem accommodatus est, ut eò ordine nihil possit cogitari diuinius.

Protagoras baiulus cum de proximo rure in Abderam oppidum, cuius popularis fuit, caudices ligni plurimos

AD LECTOREM.

plurimos funiculo breui circumdatos portaret: forte Democritus eius civis cum egrederetur urbe, vidit eum cum illo genere oneris tam impedito & distorto, facilè atque expedite incedentem. Itaque propè accessit & iunduram posituramque ligni scite perireque factam considerans, petijt ut paulùm acquiesceret. Quod ubi Protagoras, uti erat petatum, fecit: atque itidem Democritus aceruum illum & quasi orbem caudicum breui vinculo compressum, ratione quadam quasi Geometrica librari continerique animadvertit: interrogavit quis id lignum ita compositum fuisset. Et cum ille à se compositum dixisset, desideravit uti solueret, ac de novo in nodum eundem collocaret. At postquam ille soluit, ac similiter composuit: tum Democritus animi aciem solertiamque hominis non docti admiratus: Mi adolescens, inquit, cum ingenium bene faciendi habeas, sunt maiora melioraque, quae facere tecum possis: Abduxitque eum statim secumque habuit, & sumptum ministravit, & philosophias docuit, & esse eum fecit, quantus postea fuit.

Sed quorsum hæc tam longa historia? Nimirum nobis huc distorta illa ligna, huc Geometrica illa proportio redit. Quid enim tam distortum, tam inæquale, quam Imperator, quam princeps, quam plebs? Et tamen hæc inæqualitas studio nostrorum Germanorum politico tam æquabiliter librata, & ita ex omnibus, licet diversis inter se species poli-

P R Æ F A T I O

tiæ conflata est, ut secundum Aristocratiam hōnestissimam unus rerum potiatur, sed cōsiliū & sententia penes Septemuiros sit, accedatq; tertius ordo ciuitatum imperialium. Ita tota forma sapientissimē ex Monarchia, Aristocratia & Democratia temperata est.

Hæc æquabilitate hætenus facilē & expeditē incessimus, & eadem Deo iuante deinceps incedemus. Sed eam harmoniam aliquis turbulentus dissoluat (quod abominor, qui enim in Belgio, quid in Gallijs boni ex turbato ordine enatum est?) sed tamen hanc aliquis dissoluat: quid nobis ex concinna harmonia, ex suauissima symphonia pulcherrimæ politicæ aliud efficiet, quàm dissonum strepitum & tumultum, imò dirum ululatum Lapitharum & Centaurorum inter se uario & deformi rugitu certantium?

Sed iam tempus est de scriptoribus, authoribus & parentibus politicis perorandi. Quamobrem cūm per politicas omnium ferè gentium ætatumq; scholas, quarum memoria ad nos usq; peruenit, peregrinati fuerimus redeamus domum, & in hoc auditorium & nostram cathedram, memoriæq; completatur singularem politicæ disciplinæ præstantiam, quam uagando per omnes ætates & gentes, animi oculis aspeximus, meminimusq; quàm diuinam illam primam Moysi scholam politicam intuiti sumus: quàm philosophicam Platonis & Aristotelis: quæm

quàm popularem Ciceronis : quàm ex his omnibus rursus redintegratam Iustinianeam : quàm denique grauem, admirandam & concinnam Germanorum depræhendimus.

Horum igitur politicorum parentum exemplo excitati, tantum generis humani patrimonium addeamus, omnibꝫ diligentia excolamus. Ad quod nos & amplitudo, & fructus relictæ hæreditatis adhortari debet.

Est enim hæc disciplina omnium maximè, ut Aristoteles loqui solet ἀρχιτεχνολογία, quæ sub se alia humanæ uitæ studia complectitur. Huic enim subiecta est Rhetorica, ut ipse Cicero fatetur & Aristoteles ἐπιστομικὴ τῆς πολιτικῆς μάχης vocat. Huic etiã artes Mathematicæ laborant, quas Plato in sua Rep. in principe inesse uult, & eas uiri politici comites & administras facit.

Quid autem Comædia & Tragædia, quarum illa priuatam hominum uitam & æconomicam, hæc publicam describit: an non sub huius ambitu latent & continentur?

Quid de Poëtis dicam? ex quibus præcipui Virgilius & Homerus sunt: quorũ ille non modo summorum hominum & principum imagines & uirtutes politicas in Aeneide, sed etiam inferiores gradus uitæ politicæ, pastoriciæ scilicet & rusticæ ordine naturæ depinxit? Homerus autem in utroqꝫ lumine totus politicus est.

P R A E F A T I O

Idem de historia dicere licet. Quid enim historia aliud agit, quam quod vitæ privatæ & publicæ exempla, regnorum initia, incrementa, progressiones, cōseruationes & inclinationes ad ciuiliū commutationum scientiam aptè describat?

Huc quoque nostra Iurisprudencia redit: quid enim in his politicis commentarijs aliud agunt Philosophi, quam quod disputationes de iure, legibus magistratu instituant?

Hic ergo ambitus politicæ doctrinæ, hæc amplitudo est: sed non minor aut cōtractior fructus. Nam si fontes disputationum, quas philosophi in his libris tradunt, lectores attenti intelligunt: honorificam de toto ordine politico opinionem in animis suis nasci animaduerterent. Ex natura enim ipsa, siue ut uerius dicam ex Deo ipso ista præcepta emanare comperient, quæ cùm homo à natura politicus & congregationis amans conditus sit, ab inuenite autem ætate prauis opinionibus & mala educatione statim corrumpatur: morbofo corpori quasi quædã pharmaca & fomenta relicta sunt.

Quid quòd hæc disciplina etiam metam & finem nostrorum studiorum nobis ostendit? Ad communem enim societatem omnia referenda esse docet, & ad cætas contrahendos, colligendosq; non ad distractiones infinitas efficiendum.

Est quoque in huius disciplinæ cognitione hæc utilitas, quod prudentiæ in peregrinando comparandæ

## AD LECTOREM.

randæ rationem & viam docet. Multi enim politica-  
rum rerum ignari, cœlum duntaxat ut ille ait, non  
animum peregrinando mutant: qui si præcepta hæc  
civilia gustassent, omnium Rerump. per quas pere-  
grinando vagantur, formas, constitutiones, incre-  
menta, mutationes, iudicia, leges cognoscerent, &  
cum sæ patriæ institutis diligenter conferrent, exa-  
minarentq;: & hominum in philosophia, reliquisq;  
artibus, etiam mechanicis excellentium, nomina, in-  
genia, felicitatem peruestigarent. Quemadmodum  
Romanos olim legatis suis, quos ad longinquas &  
incognitas nationes mittebant, id etiam negotij de-  
disse ferunt, ut mores, instituta, totamq; viuendi ra-  
tionem eius gentis, apud quam legationis nomine  
versabantur, diligenter literis consignarent. Quod  
ad eò deinceps solenne fuit ut renunciata legatione,  
commentarij eiusmodi in æde Saturni ad institu-  
endam posteritatem reponerentur.

Quod institutum si multi in peregrinando ob-  
servarent, fortasse etiam plus utilitatis inde perciper-  
ent. Ex his enim rebus Vlyssæa quædam *πολιτική*  
& excellentia politica enascitur. Ergo hæc doctrina  
tanquam dux & comes itinerum & peregrinationū  
adhibeatur.

Deniq; in his monumentis politicis etiam prin-  
cipia nostræ doctrinæ iuris continentur. Nihil enim  
aliud philosophi politici agunt, quàm quod de per-  
sonis, de rebus, de iudicijs disputant, & planè co-

P R Æ F A T I O

dem modo quo I. C. ipsi ἐμ τοῖς πρώτοις, quatenus scilicet hæc ex natura oriuntur, & nos ex æquo bono obligant & obstringunt. Et tamen in his ipsis philosophorū disputationibus aliquid uberius est quàm forensis usus desideret. Nullo enim in genere disputandi magis honesta patefiunt, aut quid homini sit à natura tributum, cuius' nam muneris colendi efficiendiq; causa nati & in lucem editi simus, quæ sit coniunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis, fons legum & iuris inueniri potest.

Hanc itaq; dignitatem, hunc ambitum, hos fructus huius disciplinæ, auditores optimi, consideremus: & uocem illam Socratis apud Xenophontem: Generosum esse & omni fauore dignum ingenium, cui sint cordi disciplinæ politicæ, oraculum nobis esse putemus: librorum hæreditatem quam nobis ueteres politici locupletem & copiosam reliquerūt, auidè cernamus: tabulas cupidè legamus: hæredum bonorum & frangi more legata conseruemus, diligentia augeamus: nec (quod decostricis ignauitæ hæredum est) amittamus è manibus aut negligamus: sed tanquàm pretiosissimum patrimonij politici fundum retineamus & colamus.

Quem ego iam diu cultura uacuum & raris hominum uestigijs impressum, arando, iterando, tertiano, modisq; omnibus renouare excolereq; conabor: & ne mihi omnia ab antiquitate suppeditara,  
ipse

A D L E C T O R E M.

ipse autem otium languidum & torporem secutus  
videri queam, semper aliquid inueniam, quod &  
alios forte inuare, & acceptam à ueteribus hæredita-  
tem adaugere possit.

Deo autem Opt. Max. gratias habeo, qui studio-  
rum meorum cursum hac quoque parte exerceri uo-  
luit: obtestorque ut philosophiæ amorem in bonis in-  
genijs accendat, & ad suum suique filij gloriam illu-  
strandam magis magisque augeat, perficiaturque ut isto in

nominis sui gloriam philosophico curricula-


lo, cum religionis Christianæ stu-

dio coniuncto, uite meæ

periodus conclu-

datur.

F I N I S.



Q



to  
n  
m  
t

u  
&  
p  
p

the